

vetat quominus iudex consuetudinem quoque, quanquam non allegatam, in lite finienda sequatur, si modo inveterato usu jus tale inductum constet. Appellationem quoque declarat desertam, parte licet adversa nec allegante, nec petente; in quantum appellatione deserta, confirmata est ipso jure iudicis inferioris sententia, quæ per desertam appellationem, non ultra potest suspensa dici. » l. c.

(8. Quæres an sententia iudicis injusta obliget in foro conscientiæ?

« Resp. : Sententia injusta ex natura rei, aut ex omissione ordinis juris simpliciter necessarii, sive feratur per falso allegata et probata, sive ex iudicis iniquitate, nullum habet robur in foro conscientiæ, manetque parti læsæ, tametsi non appellet, jus suum, licebitque, si absque scandalo possit, recuperare bona... Ratio est quia sententia eatenus obligat in conscientia, quatenus habet rationem iudicii, hoc est ut determinatio juris, et definitio iusti.

« Dixi in foro conscientiæ; quia in foro

JUDICIUM.

SUMMARIUM.

1. Iudicium quid sit; quot vero, et quæ, seu principales; seu minus principales personæ ad illud constituendum requirantur. *Ad num. 7.* — 8. Iudicium a quibus causis, et quomodo dividatur. *Ad num. 11.* — 12. In iudicio, seu processu summario quæ solemnitates omitti possint, quæ vero non. *Ad num. 14.* — 15. In omnibus causis iudicium summa-

(1. Iudicium sumptum pro causæ discussionem, quæ coram iudice pro tribunali sedente fit, definitur, quod sit « legitima rei controversæ apud iudicem inter litigantes tractatio, seu disceptatio, et dijudicatio. » *Est in re Communis*, cum Glossa in cap. *Forus 10*, de verborum Significat., verb. *Judicium*, ubi dicit quod « Iudicium est legitimus actus duarum personarum, actoris et rei, super eadem quæstione sub eodem iudice contracta. »

(2. Ad constituendum iudicium requiruntur ordinarie tres personæ principales, scilicet iudex, actor, et reus: l. *Inter litigantes 62*, juncta Glossa marg. litt. *F.*, ff. de *Judiciis*; c. *Forus 10*, de verbor. Significat. (3. Iudex sic dictus, quasi *jus dicens populo*, sive quod *jure disceptet*, prout expresse habetur in c. *Iustum est 1*, caus. 23, qu. 2, et in cit. c. *Forus 20*, de verb. Significat., est persona quæ publica auctoritate iudicio præest, et quasi mediatorem agens inter litigantes, rem controversam secundum juris præscriptum definit, arg. c. *In istis 3*, dist. 4, et cit. c. *Iustum est*, et cit. cap. *Forus*. (4. Actor ab agendo dictus, est persona quæ actionem proponit, et prior ad iudicium provocat: l. *In tribus 13*, l. *Qui prior 29*, ff. de *Judiciis*, et talis in causis criminalibus proprie vocatur *accusator*: l. *Inter 10*, leg. *Accusatore 13*, ff. de public. *Judic.*; l. *si accusatoribus 4*, Cod. de *accusat.* et cit. cap. *Forus 10*, de verbor. Significat. expresse dicitur: « Accusator vocatus est, quasi causator, quia ad

externo, ubi non tam veritas facti quam probatio iudicia spectatur, sententia prolata servanda est, ad evitanda scandala et incommoda; neque elapso termino (intra quem appellare licebat) actio ei conceditur, lege sic statuente, tum in pœnam pigritiæ, tum ob bonum publicum, ut litium sit finis. » Ex D. de *Ligorio lib. iv*, cap. 3, dub. 2, n. 215.

Hinc duo sequentia subnectuntur:

I. « Is cujus bona per sententiam manifeste injustam adjudicata sunt alteri, potest (nisi alter juste præscripserit) per occultam compensationem ea recipere, quia recuperat jus suum. »

II. « Qui sciens per injustam sententiam mala fide accepit bona, tenetur ea semper restituere, neque unquam præscribere potest; quia sunt aliena, et possessor malæ fidei nunquam præscribit: imo tenetur expensas restituere, et compensare damna, etiamsi pars læsa non appellaverit, cum non renuntiet ideo juri suo. » Ex D. de *Ligorio loc. cit.*

rium institui potissimum solet ac possit. *Ad num. 22.* — 23. An possit extra casum necessitatis et pietatis Iudicium exerceri diebus feriatis; quot vero sint, et quæ feriarum species. *Ad num. 27.* — 28. Quid licitum vetitumve sit circa dies feriatos, habita diversitatis feriarum ratione. *Ad num. 59.* — 40. Subnectuntur additiones ex aliena manu. *Ad num. 74.*

causam vocat eum quem appellat. » In causis autem civilibus proprie vocatur *actor*, seu *petitor*, l. *Inter 62*, ff. de *Judiciis*. (5. Reus sic dictus non a reatu, sed a re de qua disceptatur, et est controversia, ut expresse habetur in cit. cap. *Forus*, ibi: « Reus a re quæ petitur nuncupatur; quia quamvis conscius sceleris non sit, reus tamen dicitur quandiu in Iudicio pro re aliqua petitur; » est persona quæ ab actore provocatur, seu in jus vocatur, et contra eam in iudicio agitur.

(6. Notanter autem dictum est sub num. 2, quod ad constituendum iudicium requiruntur tres personæ principales, quia ultra ipsas tres personas principales solent intervenire aliæ personæ minus principales, seu accessoriæ, ut testes, advocatus, procurator, tabellio, et aliæ nonnullæ, veluti ministri justitiæ, ut docet communis praxis. (7. De iis vero quæ concernunt iudicem, actorem, reum, advocatum, et procuratorem, vide verb. *Judex, Actor, Reus, Testis, Advocatus, et Procurator*.

(8. Iudicium dividitur juxta quatuor causarum genera: scilicet a causa efficiente, seu ratione iudicis illud peragentis; dividitur in iudicium *ecclesiasticum*, et *sæculare*. Iudicium *ecclesiasticum* est illud in quo coram iudice ecclesiastico disceptantur et definiuntur causæ ad forum ecclesiasticum pertinentes. Iudicium *sæculare* e contra est illud in quo coram iudice sæculari seu laico disceptantur et definiuntur causæ ad forum

sæculare pertinentes. (9. A causa finali, seu ratione finis ob quem processus iudicialis instituitur, dividitur iudicium in *civile*, *criminale*, et *mixtum*. Iudicium *civile* est illud in quo actor suum vel alterius commodum privatum prosequitur, sive causa ex contractu, sive ex delicto descendat, non agendo tamen super delicto seu crimine. Iudicium *criminale* e contra est illud in quo agitur super crimine ad publicam vindictam seu pœnam publicam, sive ea corporalis sit, sive pecuniaria applicanda fisco; aut publici officii privatio, et hujusmodi. Iudicium *mixtum* est illud in quo partim civiliter et partim criminaliter agitur, ut verbi gratia cum de crimine aliquo, ut de furto et damno illato, agitur ad interesse partis et simul ad vindictam publicam. (10. A causa materiali seu ratione materiæ controversæ iudicium dividitur in *petitorium* et *possessorium*. Iudicium *petitorium* est illud in quo principaliter de rei proprietate, dominio, vel quasi dominio; vel de jure aliquo in re vel ad rem competente, ut si res vindicetur, hæreditas petatur, actio empti, depositi, commodati, aut alia similis infertetur. Iudicium *possessorium* e contra est illud in quo non de proprietate vel dominio rei, sed de sola possessione seu quasi possessione ejusdem contenditur, sive adipiscenda, seu retinenda, sive recuperanda. (11. A causa formali seu ratione formæ in ipso servatæ dividitur iudicium in *ordinarium*, et *summarium*. Iudicium *ordinarium* (quod appellatur etiam *plenarium* seu *solemne*) est illud in quo iudex cum ordinaria figura et strepitu iudicii plenarie et solemniter, servatis omnibus requisitis solemnitatibus, procedit juxta plenum et totale præscriptum juris. Iudicium *summarium* (quod appellatur etiam *extraordinarium*) est illud et contra in quo iudex simpliciter vel summarie, et de plano, sine ordinario et solemniter strepitu, ac figura iudicii, sola facti veritate inspecta, procedit. Clement. *Dispendiosam 2*, de *Judiciis*, et Clement. *Sæpe contingit 2*, de verb. Significat., et l. *Nec quicquam*, § *De plano*, ff. de *Offic. proconsul.*

(12. In iudicio seu processu *summario*, quamvis possint omitti illæ solemnitates quæ jure solum positivo requiruntur, non tamen omitti possunt illæ quæ jure naturali aut gentium ad legitimam causæ decisionem sunt necessariæ; sic colligitur aperte ex cit. Clement. *Dispendiosam 2*, de *Judiciis*, et cit. Clement. *Sæpe contingit 2*, de verb. Signif. et tenet *communis* doctorum. (13. Prima pars conclusionis ostenditur inductione, allegando textum cit. Clement. *Sæpe contingit*, ubi Clemens V, determinans et declarans quid in judicialibus commissionibus, quæ fiunt a principe, vel a jure, significant hæc verba, scilicet, quod *procedatur simpliciter, et de plano, et sine strepitu, et figura iudicii*, seu summarie dicit: « Nos autem publicationem hujusmodi (quantum nobis est possibile), decidere cupientes, hac in perpetuum valitura constitutione sancimus, ut iudex cui taliter causam committimus,

necessario libellum non exigat, litis contestationem non postulet, tempore etiam feriarum ob necessitates hominum indultarum a jure procedere valeat, amputet dilationum materiam, litem, quantum poterit, faciat breviorum, exceptiones, appellationes dilatorias, et frustratorias repellendo; partium, advocatorum et procuratorum contentiones, et jurgia, testiumque superfluum multitudinem refrænando. Et infra post alia multa, subdit: Sententiam vero definitivam (citatis ad id, licet non peremptorie, partibus) in scriptis, et (prout magis sibi placuerit) stans, vel sedens proferat etiam (si videbitur) conclusionem non facta, prout ex petitione, et probatione, et aliis actibus in causa fuerit faciendum. »

(14. Secunda pars conclusionis, scilicet, quod in iudicio seu processu summario non possint omitti ea quæ de jure naturali aut gentium sunt necessaria ad legitimam causæ decisionem, colligitur etiam clare ex citat. Clement. *Sæpe contingit*, de verbor. Significat., ubi Clemens V inter alia sic statuit: « Non sic tamen iudex litem abbreviet, quin probationes necessariæ et defensionis legitimæ admittantur. Citationem vero ac præstationem juramenti de calumnia vel malitia, sive de veritate dicenda, ne veritas occultetur, per commissionem hujusmodi intelligimus non excludi. » Unde ex istis et ex aliis quæ ibi subjungit Pontifex aperte colligitur quod in iudicio seu processu summario nequeunt a iudice omitti ea quæ de jure naturali aut gentium sunt necessaria ad legitimam causæ decisionem, quia, si talia a iudice omitterentur, veritas occultaretur, et sic iusta sententia sequi non posset.

(15. Iudicium summarium in duplici causarum genere solet potissimum institui, scilicet in causis, quæ celerem requirunt expeditionem. Clement. *Dispendiosam 2*, de *Judiciis*, et in causis quæ sunt modici valoris et levis momenti, Authent. *Nisi breves*, et ibi Glossa, Bartol., Bald., Cod. de sent. ex brevitate recitand. (16. Causæ celerem expeditionem requirentes sunt præsertim illæ quæ recensentur in cit. Clement. *Dispendiosam 2*, de *Judiciis*, ibi: « Dispendiosam prorogationem litium, quam interdum ex subtili ordinis judiciarii observatione causarum docet experientia provenire, restringere in subscriptis casibus cupientes, statuimus ut in causis super electionibus, postulationibus, vel provisionibus, aut super dignitatibus, personalibus, officiis, canonicatibus, vel præbendis, seu quibusvis beneficiis ecclesiasticis, aut super decimis.... Nec non super matrimoniis, vel usuris, et eas quoquomodo tangentibus ventilandis procedi valeat de cætero simpliciter, et de plano, ac sine strepitu iudicii et figura. »

(17. Sic etiam summarie decidi solent causæ pauperum, pupillorum, viduarum, carceratorum, aliorumque miserabilium personarum. Authent. de *Mandatis Principum*, § *Sit tibi quoque*, collat. 3. Item causæ alimentorum: l. 2, ff. de *Feris*. Sicut et causæ spoli, depositi, mercedis, et forensium, seu pere-

grinorum. Engel lib. II Decret. tit. 1, n. 12; Reiffenst. ibid., n. 48; Maranta par. IV Speculi Aurei, dist. 9, a n. 166, et alii. Item causæ religiosorum: c. *Olim* 26, de Accusationibus; Reiffenst. loc. c., n. 48; Maranta loc. c., n. 170 et 171.

(18. Causæ modici valoris et levis momenti diversimode assignantur a doctoribus, ut notat Glossa in cit. Authent. *Nisi breves*. Alii enim censent esse modicam et levem causam, quæ est usque ad quinquaginta aureos; arg. l. I. Cod. de Defensoribus civit. Alii autem putant illam esse modicam, et levem, quæ est usque ad trecentos aureos: arg. Authent. de Defensoribus civit. § *Et judicare*, collat. 3. Vel usque ad decem libras auri: arg. authent. de Appellationibus, § *Illud*, collat. 3. Alii tandem melius supradictis docent modicitatem et levitatem causarum dijudicandam esse prudenti arbitrio iudicis juxta diversam qualitatem personarum, quia una causa, verbi gratia, centum aureorum, quæ inter homines mediocri fortunæ censeretur magna, inter duos principes vel valde divites reputatur modica. Sic Glossa, et Bartolus in cit. Authent. *Nisi breves*; Reiffenst. loc. c., n. 50; Maranta loc. c., dist. 9, n. 189, cum pluribus aliis ibi citatis.

(19. Causæ iudicio summario tractandæ possunt etiam, non contradicentibus partibus, tractari et decidi iudicio ordinario et solemniter, textu expresso in Clement. *Sæpe contingit* 2, de verb. Signific., § final. ibi: « Si tamen in præmissis casibus solemniter iudicari in toto vel in parte, non contradicentibus partibus, observetur, non erit processus propter hoc irritus, nec etiam irritandus. » (20. Si tamen iudicium quod ex sui natura fuisset summarium, ex actoris electione reddatur ordinarium, tunc sententia prolata, non servatis solemnitatibus juris, erit nulla et invalida, quia, ex quo actor sua sponte elegerit, et adhibuerit iudicium ordinarium cum posset tenere summarium, sententia debet proferri, sub pœna nullitatis, secundum præscriptas solemnitates in tali iudicio ordinario et solemniter observandas: card. de Luca tom. III, disc. 1, de Iudiciis num. 12 et 53; Reiffenst. loc. cit., num. 51, et alii. (21. Sententia enim prolata in iudicio ordinario et solemniter, non servatis solemnitatibus a jure præscriptis et requisitis, est nulla: l. *Prolatam*, cod. de sent. et interlocut. omnium iudicium, cap. *In causis* 19, de sententia et re iudicata; card. de Luca loc. cit., n. 11 et 12; Reiffenst. loc. cit., n. 43, et alii. (22. Valida autem est sententia prolata in iudicio summario, quamvis non servatis plerisque solemnitatibus a jure positivo requisitis, si sint observatæ illæ quæ jure naturali aut gentium ad legitimam causæ decisionem sunt necessariae, cit. clement. *Dispendiosam* 2, de Iudiciis, et ex alia Clement. *Sæpe contingit* 2, de verb. Significat.; et patet ex dictis supra num. 12 et 13. Sic Barbosa in d. Clement. *Sæpe contingit*, n. 1 et seq.; Reiffenst. loc. cit., num. 41; Maranta part. IV Speculi Au-

rei, disp. 9, num. 8 et seq., et alii communiter.

(23. Iudicium extra casum necessitatis et pietatis nequit exerceri diebus feriatis, sive sacris sive profanis, l. 1, ff. de Feriis, l. *Si Feriatis*, ff. eod. et l. 2 Cod. eod. cap. *Omnes dies* 1, et cap. *Conquestus* 5, de Feriis. (24. Dicitur notanter *sive sacris, sive profanis*, quia feriarum tres sunt species, scilicet feriæ sacræ, rusticæ, et repentinæ. (25. *Feriæ sacræ sive solennes* sunt illæ quæ ob reverentiam et cultum Dei principaliter sunt institutæ, ut sunt omnes dies festi de præcepto, de quibus sit mentio in cit. cap. *Omnes dies* 1, et cit. cap. *Conquestus* 5, de Feriis; et præsertim in Bulla Urbani VIII incip. *Universa*. (26. *Feriæ rusticæ* (quæ etiam vocantur necessariæ) sunt illæ quæ ob necessitates hominum præsertim ruri laborantium, instituuntur, uti sunt feriæ messium et vindemiarum, de quibus sit mentio in cit. capit. *Conquestus* 5, de Feriis 5, § ultim., et in l. 1, ff. de Feriis. (27. *Feriæ repentinæ* sunt illæ quæ non ex certa et stabili lege constituuntur, sed extra consuetum ordinem repente et subito indicuntur, ut solet fieri ob coronationem principis, aut ejus adventum, vel ob insignem victoriam de hostibus reportatam: l. *Sed et si*, § *Si Feriæ*, ff. *Ex quibus causis majores*, etc. Item propter hostilitatem, vel grassantem publicam luen, aut similem causam extraordinariam, et tales repentinæ ferias solus princeps, non autem iudex auctoritate propria indicare potest: leg. *A nullo*, Cod. de Feriis.

(28. Prohibitio exercendi iudicium diebus feriatis extenditur ad omnes iudicii partes, quæ regulariter sunt tres. (29. Prima est inchoatio causæ per rei citationem, quæ rei citatio præsertim executiva per apparitorum sive nuntium faciendâ, cum spectet ad actus iudicii, ut patet ex cap. *Quoniam* 11, de Probationibus, ibi: « Qui fideliter universa iudicii acta conscribant, videlicet citationes, dilationes, » etc., nequit ex rigore juris fieri diebus feriatis, ut expresse tenuit Rota in causa Bononien. liberationis a Fideiussione, 9 febr. 1607; apud Farinac. lib. II, dec. 233, num. 4; et tenent. Baldus in l. *Cum Clericis*, n. 3, Cod. de Episc. et Clericis; Lanfrancus tract. de Citat., num. 18; Reiffenstuel lib. II Decret., tit. 9, n. 54; Abbas in cap. *Conquestus* 5, de Feriis, n. 20; Fagnan. ibid., n. 56, allegans praxim et aliam decisionem Rotæ, quæ est dec. 363, num. 1, part. III, recent., et alii, arg. cit. cap. *Conquestus* 5, de Feriis, et l. ull. Cod. eod., ubi videtur actus iste specialiter fuisse prohibitus his verbis: *Nulla quemque urgeat admonitio, præconis horrida vox sileat*.

(30. Secunda pars iudicii est processus, qui fit per causæ cognitionem, examinatis et juratis testibus, exhibitisque litteris probatoriis; et hæc pars iudicii, cum sit vere et proprie actus iudicialis, prohibetur fieri sub pœna nullitatis diebus feriatis, cap. *Omnes dies* 1, et cap. *Conquestus* 5, de Feriis; l. 1, de Feriis; l. *Juris jurandi*, cod. de Testibus, cum similibus; et sic tenet *communis do-*

ctorum. (31. Tertia est sententiæ prolatio, ejusque executio, et hæc pars iudicii cum sit propriissime actus iudicialis, prohibetur expresse fieri diebus feriatis sub pœna nullitatis, cit. cap. *Omnes dies*, cod. eodem, cum similibus, et *communissima* doctorum.

(32. Iudicium adeo prohibitum est exerceri feriis sacris, ut neque de consensu partium possit in ipsis valide exerceri, textu expresso in cap. *Conquestus* 5, de Feriis, ibi: « Quibus utique solemnibus feriis (nisi necessitas urgeat, vel pietas suadeat) usque adeo convenit ab hujusmodi abstinere; ut consentientibus etiam partibus, nec processus habitus teneat, nec sententia quam contingit diebus hujusmodi promulgari. » Et sic tenet *communis* doctorum. Et ratio est, quia feriæ sacræ, utpote in honorem Dei institutæ, principaliter concernunt cultum divinum, cui partium consensu renuntiari et præjudicari nequit. (33. Item neque de consensu partium potest iudicium exerceri feriis repentinis, quia istæ feriæ respiciunt potius publicum quam privatum partium favorem, arg. l. *Omnes dies*, cod. de Feriis. Pacto autem seu consensu privatorum nequit derogari favori ac juri publico, cap. *Si diligenti* 12, de foro competentis; l. *Jus publicum*, ff. de Pactis: Glossa in clement. *Sæpe contingit*, de verb. Significat., verb. *Ob necessitates*; Abbas in cap. *Omnes dies* 1, de Feriis, num. 11; Fagnan. in c. *Conquestus* 5, de Feriis, num. 7 et seq.; Reiff. lib. II Decret., tit. 9, de Feriis, num. 32; Speculator eod. tit., § *Nunc videamus*, num. 1, et alii. (34. Potest tamen de consensu partium exerceri iudicium feriis rusticis, textu expresso in cit. cap. *Conquestus* 5, de Feriis, ibi: « Licet diebus feriatis qui gratia vindemiarum vel messium ob necessitates hominum indulgentur, procedi valeat, si de partium processerit voluntate: » et concordat l. *Omnes Iudices*, cod. de Feriis, et l. 1, ff. eod. Et ratio est quia tales feriæ concessæ sunt principaliter in gratiam privatorum. Ne scilicet occasione iudicii præpediantur a communitate colligendi fruges suas; iis autem quæ in sui gratiam sunt concessæ seu introductæ, possunt partes libere renuntiare textu expresso in l. *Si quis* 29, cod. de Pactis, ibi: « Cum sit regula juris antiqui, omnes licentiam habere iis quæ pro se introductæ sunt renuntiare. »

(35. Omnibus feriis, sive sacris, sive repentinis, sive rusticis, potest exerceri iudicium ratione necessitatis aut pietatis; *communis*, textu expresso in cit. cap. *Conquestus* 5, de Feriis, ubi a generali prohibitione exercendi iudicium diebus feriatis excipiuntur duo præmissi casus his verbis expressi: *Nisi necessitas urgeat vel pietas suadeat*. (36. Hinc ratione necessitatis, sive publicæ, sive privatæ, possunt tunc expediri causæ quæ celeritatem requirunt, ut si res propter dilationem peritura esset, verbi gratia si oriatur controversia circa collectionem fructuum cæteroquin periturorum, vel circa capturam piscium raro aut certis solummodo diebus apparentium, arg. cap. *Licet* 3, de

Feriis, et l. *Solet*, ff. eod. Sic causæ respicientes alimenta necessaria possunt expediri diebus feriatis, cum talibus alimentis indigeamus omnibus diebus, l. *Publicus*, cod. de Feriis. Item diebus feriatis potest procedi contra malefactores et facinorosos latrones, quia ex captura facinorosorum hominum sequitur purgatio provinciarum, et salus, et securitas plurimorum innocentium. Item diebus feriatis potest carcerari debitor suspectus de fuga, ut notat Glossa communiter recepta in l. ult., cod. de Feriis, ibi: *Nisi timeatur de recessu*. Sic de primo ad ultimum ratione necessitatis possunt diebus feriatis exerceri omnes illi actus judiciales, qui ob defectum testium, seu iudicis, aut alterius impediementi nequeunt exerceri aliis diebus. Et ratio est, quia ex cap. *Quod non est* 4, de Regulis juris, *Quod non est licitum in lege, necessitas facit licitum*, et ut expresse habetur in cap. *Sicut* 11, de consecr., dist. 1: *Necessitas non habet legem*; ei concordat cap. *Quoniam* 13, caus. 1, quæst. 7, cap. *Omnes* 1, de Feriis; cap. *Consilium* 2, de Observat. jejun.; cap. *Consulisti* 3, de Celebrat. Missar.

(37. Ratione pietatis possunt diebus feriatis exerceri actus judiciales pro causis debiliū vel miserabiliū personarum, quia sic suadet pietas, et in operibus pietatis et misericordiæ non est habenda distinctio dierum, arg. cap. *Utinam in omni tempore* 11, dist. 76, et capit. *Nunquam* 33, de consecrat., dist. 4. Et sic tenet Glossa in cit. c. *Conquestus* 5, de Feriis, verb. *Pietas*; Speculator tit. de Feriis, § *Sequitur*, n. 1 et sequent.; Hostiensis in Summa, tit. de Feriis, num. 4, et alii communiter. Item diebus feriatis ratione pietatis tractari possunt causæ quæ ad religionem spectant. Nam *summam esse rationem quæ pro religione facit*, patet ex leg. *sunt Personæ*, ff. de Religiosis et Sumptibus funerum. Et de facto diebus festivis solent iudicari et puniri hæretici ad majus aliorum tunc confluentium terroris exemplum. Item ex motivo pietatis possunt diebus feriatis tractari, et definiri ea quæ spectant ad pacem et concordiam, l. ult., cod. de Feriis.

(38. In causis summaris, seu de plano tractandis, potest exerceri iudicium tempore feriarum rusticarum, textu expresso in clement. *Sæpe contingit* 2, de verb. Significat., ibi: « Sancimus ut iudex cui taliter causam committimus..... tempore etiam feriarum ob necessitates hominum indultarum a jure, procedere valeat. » Et sic tenent doctores communiter. (39. Non potest tamen iudicium exerceri in causis summaris extra casum necessitatis aut pietatis tempore feriarum sacrarum et repentinarum: Glossa communiter recepta in cit. clem. *Sæpe contingit*, verb. *Ob necessitates*, de verbor. Significat.; Abbas ibid., num. 28 et 29, et alii passim, argumento a sensu contrario desumpto ex cit. clementina *Sæpe contingit*; ibi enim causæ summaris permittuntur solum tractari et definiri *tempore feriarum ob necessitates hominum indultarum a jure*, quales sunt feriæ rusticæ, sive messis atque

vindemiarum, aliæque ad mitigandos calores æstivos concessæ; adeoque secus est dicendum de feriis sacris et repentinis, ibi non expressis et non exceptis, quia exceptio unius firmat regulam in contrarium, l. *In iis quæ*, de Legibus, et Glossa ibid. expresse ait: « Exceptio a regula firmat regulam in aliis; sive exceptio firmat regulam in contrarium in casibus non exceptis, » ut inquit Fagnan. in cap. *Illæ*, n. 31, *Ne sede vacante*, et late probat Barbosa Axiomat. 85, num. 4.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

De judiciis tametsi haud parce disserat auctor, libet tamen pauca, sed ordine servato, habere.

(40. Judicium non male definitur: « Ordo judiciarius quo coram iudice competente causæ controversæ disceptatio inter actorem et reum legitime peragitur, ut sententia lis finiatur, ut suum cuique tribuatur. »

(41. De iudicii divisionibus agit hic auctor, sed congruentius Bohemer. Introd. in jus digest. lib. v, tit. 1, n. 2 et seqq.

(42. Quatuor in omni iudicio consideranda sunt. Primum est *legitima pertractatio secundum ordinem præscriptum*, ne nullitas in processu lateat, leg. 4, cod. de sent. et Interlocut.

(43. Hinc non est incongruum inquirere utrum iudicium a citatione an a litis contestatione initium capiat. (44. Hæc autem obtinet distinctio. Quantum ad fundandam jurisdictionem iudicis, initium iudicium capit a citatione, ac propterea inducit citatio præventionem et litis pendentiam. Quantum vero ad litigantes, non nisi a litis contestatione initium capit iudicium: Stryk. in Usu moderno Pandect. lib. iv, tit. 1, § 5.

(45. De antiqua forma litis contestationis adhibitis testibus factæ videri possunt Vultejus de Judic., lib. iii, c. 1, n. 7 et 55. Obrechtus de litis Contestat., cap. 5, n. 2, et seq. (46. De hodierna vero litis contestatione confer Bohemer Introd. in Jus digestorum, lib. v, tit. 1, n. 5 et plur. seq.

(47. Plures vero sunt effectus litis contestationis, qui citationi tribui nequeunt, *Primo* enim, malam fidem inducit. *Secundo*, impedit mutationem libelli. *Tertio*, constituit procuratorem dominum litis. *Quarto*, inducit quasi contractum, novationemque. *Quinto* (quod est consecrarium præcedentis effectus), facit actiones ad hæredes transitorias et temporales perpetuas. *Sexto*, pertinet post contestationem litis omnis causa et utilitas rei ad officium iudicis. *Septimo*, dilatorias excludit exceptiones. Ad de iis et aliis effectibus Stryk. in Usu moderno Pandect., lib. v, tit. 1, § 4; Bohemer Introd. in Jus digestorum, l. iv, tit. 1, n. 10.

(48. *Alterum* in omni iudicio considerandum est *legitima iudicis persona coram quo processus peragitur*. In omni autem iudice, *primo* requiritur *habilitas*. (49. Inhabilitas autem vel est naturalis, vel civilis: et civilis vel est absoluta, vel secundum quid; consule Bohemer, Introd. in Jus digestorum, lib. v, tit. 1, n. 12, qui rem exemplis illustrat.

Secundo in iudice requiritur *integritas*, ut præstet officium viri boni. Quocirca permixtum est litigantibus iudices suspectos recusare. (50. An vero integrum collegium recusari possit, non conveniunt DD. Sunt qui affirmant si maxima pars collegii sit suspecta, Strauch. dissert. Juris Public. 13; Mev. part. 1, dec. 194, fere per tot. Sed id restringunt ad inferiora tribunalia, Vultejus de Judic., lib. ii, c. 7, num. 206; Plum. in Process. Camera, tit. 25, § 1. « Sed fateor (inquit Stryk. in Usu moderno Pandect., lib. v, tit. 1, § 11) omnino publicæ rei salutem exigere, ne facile recusetur summa Tribunalia; quod si tamen legibus probata causa adsit, non video quid recusationi obstet. »

(51. Quod attinet ad modum proponendi recusationem, iure civili in libello recusationis suspicionem generaliter allegare sufficit, præstito tamen juramento calumniæ. (52. At iure canonico causa in libello exprimens. Cognitio vero de illa, vel coram arbitris expeditur, vel ad superiorem devolvitur; Bohemer. Introd. in jus digestorum, l. v, tit. 1, n. 14.

(53. Pertinet huc etiam juramentum perhorrescentiæ iure canonico introductum, quod hujus efficaciam est ut, illo præstito, quis coram illo iudice apud quem litigare perhorrescit, se sistere non teneatur, sed causa ad superiorem devolvatur. Vide de hoc perhorrescentiæ juramento Feliman. in tractatu ita inscripto.

(54. Requiritur tertio in iudice *competentia*, quæ duplex, tum respectu jurisdictionis, ut habeat illam jurisdictionis speciem ad quam pertinet causa controversa; tum respectu reorum ex quorum persona ordinarie competentia iudicis æstimatur. De hoc autem foro competente intuitu reorum consulendus præ cæteris Voet. in Comment. ad Pandect., lib. v, tit. 1, per. tot., qui materiam pro dignitate tractat.

(55. *Tertium* in omni iudicio considerandum concernit *legitimam litigantium personam*, id est actorem et reum. Actor in iudicio dicitur qui quod sibi debetur persequitur; Reus vero qui contra actoris persecutionem se defendit, ejusque elidit intentionem.

(56. In actore primo requiritur ut habeat is *legitimam personam standi in iudicio*. Hanc non habent servi, excommunicati, banniti, majores magistratus durante officio, minores et pupilli absque curatore vel tutore, prodigi, et filii familias; Bohemer. Introd. in jus digestorum, lib. v, tit. 1, num. 39. (57. Monet vero idem auctor loco mox citato, majores magistratus, hodiernis moribus, durante etiam officio agere posse; (58. tum monet filios familias in peculio castrensi, et quasi castrensi libere agere posse, in peculio vero adventitio extraordinario agere debere consentiente patre, si pater potuisset usumfructum acquirere, et in peculio adventitio ordinario patrem ipsum agere debere, filio consentiente.

(59. Tenet Grœnveg. de legib. abrogat., l. v, digestor., tit. 1, leg. 4, posse hodie filiosfamil. ex quacunque causa contra pa-

tres agere, non obstante patriæ potestatis vinculo. (60. At Stryk. in Usu moderno Pandect., lib. v, § 33, sententiam hanc temperat si de illis bonis quæstio sit quorum usufructus patri non competit, vel etiam de bonis maternis, patre ad secunda vota trans-eunte.

(61. Nec aliquid hac in re innovavit jus canonicum in capit. 11, de sponsalib. (62. In eo enim causam singularem esse, ubi pater uxorem filii detinet, ex contextu apparet quo casu, ut et omni alio ubi manifesta patris injuria, nec hodie beneficium implorandi auxilium iudicis filio denegandum.

(63. Secundo in actore requiritur ut ipse *volens, et sponte agat*. Tribus vero casibus ad agendum compelli quis potest. (64. *Primo*, si alterius ex iure perfecto interit alterum agere: vide l. 8, in fine, ff. de optione legata; l. ii, § penult. et ultimo ff., ad l. *Rhodium de Jactu*, l. 13, § 30, ff. de Actionibus empti. *Secundo*, si quis ad agendum teneatur ex officii necessitate, ut tutor, curator, etc. *Tertio*, si quis ad agendum provocetur per remedia, quæ ex leg. *Diffamari*, cod. de Ingeniis et manumiss., et l. *Si contendat*, ff. de Fidejuss. usu forensi trahuntur. (65. Huc etiam pertinet provocatio, creditorum moto concursu.

(66. Qui agere in iudicio haud possunt, regulariter nec actores esse queunt, si excipiantur excommunicati et banniti, ne alias beneficio afficiantur. (67. Id vero nota

JUDICIUM TEMERARIUM, SUSPICIO, ET DUBITATIO.

SUMMARIUM.

1. Judicium, suspicio, et dubitatio inter se differunt. *Ad num.* 2. — 3. Dubitationis et suspicionis quidditas assignatur. — 4. Suspicio alia est levis, alia gravis, alia violenta, et quæ sint. — 5. Judicium aliud est prudens, et aliud imprudens, et quale sit utrumque. *Ad num.* 6. — 7. Dubitatio, et suspicio, alia item est prudens, alia impru-

dens, et utraque explicatur. — 8. Assignantur iudicia sufficientia vel insufficientia ad iudicandum, suspicandum, dubitandum de vitio vel crimine alterius. — 9. Judicare, suspicari, vel dubitare de alterius vitio an sit peccatum. *Ad num.* 10. — 11. Judicium temerarium de alterius crimine quale peccatum sit. *Ad num.* 12. — 13. Temere suspicari, vel dubitare de alterius crimine, an, et quale sit peccatum. *Ad num.* 16.

(1. Hæc tria, scilicet, Dubitatio, Suspicio, et Judicium inter se differunt, *communis ac certa*, et patet ex earum definitionibus, quæ mox dantur. (2. Dubitatio enim non est verus assensus, sed veluti suspensio animi in neutram partem se determinantis, ac veluti in ancipiti hærentis. *Est in re communis*, (3. Suspicio est assensus debilis junctus cum formidine de opposito. *Est in re communis*. (4. Hæc suspicio, alia est levis, alia gravis, et alia violenta. Suspicio levis est quæ assensum valde debilem, multum vero dubitationis, vel formidinis de opposito habet. Suspicio gravis seu vehemens est quæ plus assensus, et minus formidinis vel dubitationis de opposito habet. Suspicio violenta (quæ in cap. *Ex litteris* 12, de Præscriptionibus appellatur *violenta, et certa suspicio*) est quæ plurimum assensus, et valde parum, vel vix aliquid dubitationis vel formidinis de opposito continet, adeoque pertingit ad integram persuasionem seu credulitatem ex conjecturis seu indiciiis

quoad reos, alium pro alio conveniendum haud esse, nisi *primo* aliquis nexus subsit. *Secundo* aliquando per indirectum jus pignorationis, vel represaliarum adhibeatur; de quarum requisitis alibi agendum.

(68. *Quartum* considerandum in omni iudicio respicit *qualitatem causarum peragendarum* quæ varii sunt generis, alterantque ipsum processum, imo et forum. Interest autem ut justo ordine uti plures concurrant, proponantur. (69. In his autem regulis fundatur ordo. *Primo*, præcognosci illa debent sine quibus cætera intelligi haud possunt, uti sunt causæ præjudiciales: Hertius de ordine causarum in Jud., tract., § 4 et sequent. (70. Hæc si in causa principali incidenter moveantur, tandiu principalis ipsa causa sistitur, donec iudicatum de incidente sit ab eodem iudice, tametsi alia cognoscere de ea principaliter haud valeat, leg. 14, cod. de ordin. Judic. *Secundo* in illis quæ non cohærent aut ab altero dependent, proponendum est præstantius. (71. Inde fit ut criminalis mota ab actore terminanda sit præ civili a reo mota: Hertius ubi supra, § 13 et sequent. (72. Eadem de ratione quæstio a fisco mota circa rem suspendit privatam actionem de eadem motam, leg. 35, ff. de Jure fisci. (73. *Tertio*, præparatoria primum tradenda, deinde principalia. (74. Atque hinc est, quod causæ possessionem ante controversiam de proprietate sint finiendæ nisi in petitorio res sit aperta.

dens, et utraque explicatur. — 8. Assignantur iudicia sufficientia vel insufficientia ad iudicandum, suspicandum, dubitandum de vitio vel crimine alterius. — 9. Judicare, suspicari, vel dubitare de alterius vitio an sit peccatum. *Ad num.* 10. — 11. Judicium temerarium de alterius crimine quale peccatum sit. *Ad num.* 12. — 13. Temere suspicari, vel dubitare de alterius crimine, an, et quale sit peccatum. *Ad num.* 16.

haustam. (5. Judicium est plenus et firmus animi assensus, vel credulitas. *Est in re communis*.

6. Judicium aliud est prudens, quando scilicet nititur sufficientibus indiciiis seu conjecturis ad generandum firmum assensum de alterius probitate vel improbitate. Aliud vero est imprudens, seu *temerarium iudicium*, quando scilicet sufficientibus indiciiis seu conjecturis non innititur. (7. Et sic dubitatio et suspicio est prudens si innititur, et temeraria si non innititur sufficientibus ad rationabiliter dubitandum vel suspicandum indiciiis, seu conjecturis. *Communis*.

(8. Indicia sufficientia ad iudicandum, suspicandum, vel dubitandum de vitio vel crimine alterius, sunt, verbi gratia, videre hominem noctu accedere ad domum suspectam, vel infamem, aut inde exire; videre hominem noctu admotis scalis tentare aperire fenestram alicujus domus, et hujusmodi. Indicia autem insufficientia sunt videre hominem honestum et alias bonæ famæ clara